

Zwölf Briefe des Ambrogio Traversari.

Mitgeteilt von LUDWIG BERTALOT.

Die Briefsammlung des Ambrogio Traversari ist eine der umfangreichsten und wichtigsten der nicht wenigen lateinischen Epistolare von Italienern des 15. Jahrhunderts. Dank dem Interesse, das die Mauriner an dem ihnen geistesverwandten humanistischen Mönch nahmen, war es auch die erste, der eine wissenschaftliche Ausgabe zu teil wurde. Cannetos Edition war eine für ihre Zeit glänzende Leistung, und Lorenzo Mehus' praefatio bereicherte sie vollends um eine Darstellung und Dokumentensammlung der Literatur Italiens von 1300 bis 1500, wie sie damals nicht besser geliefert werden konnte¹⁾. Kein Wunder, daß der mächtige Foliant auf dem antiquarischen Büchermarkt eine immer noch steigende Preishöhe erklommen hat.

Heute bedarf Canneto der Erneuerung, die aber von einer näheren Zukunft nicht zu erwarten ist. Einige Bausteine dazu liefere ich hier in Gestalt von einem Dutzend Briefen von und an Traversari²⁾. Das ist nicht viel, aber doch mehr als was bisher insgesamt zur Vermehrung des von Canneto gebotenen Bestandes von Traversaribriefen ans Licht gebracht worden ist³⁾.

¹⁾ Ambrosius Traversarius Camaldulensis, latinae epistolae a Petro Canneto in libros XXV tributae . . . Accedit eiusdem Ambrosii vita a Laur. Mehus. Florentiae 1759.

²⁾ Zwei Briefchen an einen Mönch Innocentius im codex Vaticanus lat. 3910 f. 4^v sind unerheblich und hier absichtlich weggelassen.

³⁾ Seit Canneto sind folgende Briefe Traversaris veröffentlicht worden: Ein Brief an einen Mönch Michael von Morelli, *Codices latini bibliothecae Nanianae*, 1776, S. 106. Das Buch von F. P. Luiso mit dem anspruchsvollen Titel „*Riordinamento dell'Epistolario di Ambrogio Traversari con lettere inedite e note storico-cronologiche*“ (1898, 1899, 1903 in drei einzeln paginierten Faszikeln erschienen, von denen die beiden ersten Sonderabdrücke aus der *Rivista delle Biblioteche e degli Archivi* VIII, IX sind) bringt ganze drei Briefe, zwei an Cosimo Medici, einen an Niccolò Niccoli; letzteren wiederhole ich im folgenden an 5. Stelle, weil er an sich ungemein interessant ist und die notwendige Ergänzung zu n. 3 und 4 bildet. Die beiden in der wohlgemeinten Biographie

Ich entnehme sie verschiedenen lateinischen humanistischen Sammelhandschriften des 15. Jahrhunderts, und zwar Brief 1-4 dem codex latinus Fol. 667 der Berliner Königlichen Bibliothek, der venetianischen Ursprungs ist und vielleicht einst dem Niccolò dei Leonardi gehört hat, Brief 5 dem codex Marcianus Venetus 3967 (lat. XI 66) f. 40^v-43, Brief 6 dem codex Campori App. 172 (S. 121-3) der Biblioteca Estense in Modena ¹⁾, Brief 7-11 dem codex II VIII 129 der Biblioteca Nazionale zu Florenz, Brief 12 dem codex 1394 (f. 166^r) der Biblioteca governativa in Lucca ²⁾.

Die beiden ersten Briefe stehen in der Handschrift zwischen solchen von 1416 und 1420, dürften aber mehrere Jahre jünger sein. Die drei nächsten sind vom Sommer 1430, der 6. 7. und 8. undatiert, der 9.-11. vom Sommer 1427, der 12. von Anfang März 1428.

Der Schreiber des ersten und Adressat der 3 folgenden Briefe ist der Venetianer Arzt Niccolò Leonardi, der uns auch in den Epistolaren des Pier Paolo Vergerio, Guarino von Verona, Francesco Barbaro begegnet, von dem wir aber nicht viel mehr wissen als den Namen, ebenso wie den seiner beiden Söhne, deren älterer Eustachius im November 1428 im Alter von 27 Jahren Bischof von Corfu wurde ³⁾ und durch seinen frühen Tod im August 1430 die Briefe 3 und 4 veranlaßte, deren jüngerer Jeronimus 1445 in Padua zum doctor medicinae promoviert wurde ⁴⁾ Der 5. Brief an den Florentiner Humanisten Niccolò Niccoli reiht sich zwischen n. 33 und 34 des VIII. Buches (302 und 303) von Cannetos Ausgabe und fällt demnach in den August 1430. Die Briefe 7 und 9 sind an den Familiaren des Cardinals Gabriel Condulmaro, den Gräzisten Rinuccio da Castiglione fiorentino ⁵⁾, von dem Poggio Bracciolini griechisch lernte, gerichtet und vom Adressaten selbst in die Handschrift kopiert, aus der ich sie mitteile ⁶⁾. Die

von Dini-Traversari (Ambrogio Traversari, Firenze 1912, Appendice prima p. 3-5) publizierten Briefe waren schon von Sabbadini (Cronologia della vita di L. Valla, Firenze 1891, p. 64-67) ediert, und der Verfasser des zweiten ist überdies nicht Traversari, sondern Carlo Marsuppini. Endlich hat Lugano in der Rivista storica benedettina VIII, 1913, S. 56 einen Brief Traversaris an den Prior Benedetto des Klosters San Michele in Bosco bei Bologna von 1432 veröffentlicht.

¹⁾ Die Abschrift verdanke ich der Güte der Bibliotheksverwaltung.

²⁾ Wo er zusammen mit dem von Mittarelli, Bibliotheca S. Michaelis Venetiarum (Venetiis 1779) Sp. 887-8 nach cod. Marcian. 3067 (lat. XI 80) f. 398 edierten Brief Filelfos steht.

³⁾ Eubel, Hierarchia catholica I 1898 S. 217.

⁴⁾ Bei welcher Gelegenheit Lauro Quirini die im codex Ambrosianus O 124 sup. f. 93^v erhaltene Rede auf ihn hielt.

⁵⁾ Ueber seine Uebersetzungen aus dem griechischen vgl. D. P. Lockwood in Harvard Studies in classical philology 24, 1913, S. 52-109.

⁶⁾ Die Florentiner Handschrift (II VIII 129 der Bibl. Nazionale) hat keinerlei Schreibervermerk, doch sind die 124 ersten Blätter unzweifelhaft von derselben

Briefe 8, 10, 11 sind an Cardinal Gabriel Condulmaro gerichtet, der im März 1431 als Eugen IV. den päpstlichen Stuhl bestieg und im October des Jahres Traversari zum Camaldulensergeneral wählen liess. Der letzte Brief ist einer der ältesten der überaus regen Korrespondenz zwischen Filelfo und Ambrogio ¹⁾.

I.

Optimo et doctissimo uiro ac prestantissimo monacho
fratri Ambrosio amico lectissimo Florentie.

Multum me haberet molestie, uir optime et amice suauissime, cum, postquam e Florentia discessi, nihil ad te litterarum dederim, nisi plane ego scirem, quantum pro tua singulari uirtute me et presens et absens diligas. Credo enim, imo certe scio, quemadmodum ego de te sic de me tu etiam credis. Nam cum nihil ad me scripseris, ab eo munere multis de causis et iustis abstinuisse te arbitrator, cum unius officii intermissio, modo sine officio non sit, et probari et laudari potest. Itaque oro te, ut des ueniam, si non scripsi neque impetrata munuscula ad te dedi, cum alterum per classem Alexandrinam expectarem, alterum uero usque in presentem horam habere non potui — tanta est huiusce rei penuria —, nisi Franciscus Barbarus tuus, qui in omni re liberalis est et uidetur, subuenisset. Is enim, dum sciret me omnem diligentiam omnemque curam adhibuisse ut xiloloem haberem nec inuenire me posse intelligeret, mihi in donum dedit hoc quod ad te mitto. Munus igitur quod, tametsi perexiguum sit nec sic confestim datum ut ego sane optauis, pro mea in te fide et pro animi

Hand wie der codex Chisianus H VI 181 (Ciceronis orationes), als dessen Schreiber und Besitzer sich Rinuccio unterzeichnet hat. — Im Brief VIII 28 (297) an Niccoli äußert sich Traversari sehr scharf über Rinuccio, und nach einem bösen Epigramm Pier Candido Decembrios scheint er ein arges Lästermaul und ein Geizhals gewesen zu sein; es steht in Decembrios Epigrammensammlung, in der auch Maffeo Veggios schönes am Schluß von Cannetos Ausgabe mitgeteilt zu lesen ist:

IN RINVCIVM AVARVM ET MALEDICVM.

Nunc silet illa malis suspecta potentia lingue,

Nunc silet illa bonis perfida lingua uiris.

Quam, quondam impuro vitiantem cuncta veneno

Cum tremerent omnes, prouida Parca rapit.

Nil illi prosunt nummi, quos concaua pallens

Sepe manu trepidus periurioque tulit.

Nam iacet in tenebris sine bullis putridus expers

Rinucius nobis celicolisque iocus.

(Cod Trivulzianus 793 f. 7^v).

¹⁾ Er geht dem bei E. Legrand, 110 lettres grecques de François Filelfo, Paris 1892, S. 4-5 gedruckten Brief vom 7. März 1428 unmittelbar voraus.

tui magnitudine libenter accipies. Vale. Dominum priorem cum claris et optimis monacis saluos cupio. F. Barbarus tibi milia s. dicit. Vale iterum et pro me ora. Ex Venetiis, primo kalendas Januarias.

Tuus ni. de le. uenetus physicus.

II.

Optimo ac peritissimo uiro ni. de Leonardis
dilectissimo fratri, meo.

Ambrosius monachus optimo atque amicissimo suo Nicholao s. p. d. Negligentia fortasse mea factum sit, ut suauius litteris tuis tardius quam ratio amicitie nostre postularet responderem. Sed ea profecto negligentia uix puto ueniam mereri posset, si mihi apud inclementem aliquem iudicem et qui minus quam Nicholaus meus me diligeret atque obseruaret, dies uiolate amicitie diceretur. Verum enim cum te nactus sim, a quo amari antea et coli cepi quam nosci, minus mihi negotii inesse uideo ad tibi persuadendum me, etsi mutum hactenus atque litteras nullas scribentem ad te, persistere tamen eum quem nosti amantissimum tui ac tibi tuisque officiis deditissimum. Intercesserunt fateor occupationes molestissime, quibus hodieque discrucior, que intermissi officii causa tantisper et fuerunt et sunt. Vix enim uel nunc me tantisper colligere ad hoc scribendum potui. Curabo, cum otii plus aderit et negotiorum minus, resarcire damna preteriti silentii. Lignum aloes abs te missum summo gaudio excepi; est enim rarissima res ac sane peregrina. Agerem gratias diceremque pluribus uerbis, si id te uelle putarem; sed cum ad summum uenerit nostra amicitia honesteque huiusmodi ab amicis petantur et fiant officiose, mittendam censeo eiusce gratulationem, cum amplissimis quidem uerbis nihil aliud agi posset quam ut id tibi persuaderetur, quod satis ac supra persuasum tibi esse mihi ipsi persuadeo me similem esse *σαυτοτάτου*¹⁾). Nihil ultra quod scribendum ad te putem occurrerat. Senior pater ac Hieronimus frater p. s. d. Filiolum nostrum Eustachium summe spei, de cuius ingenio non plus mira quam uera dixisti, ex me amplexabere horterisque, ut grecis litteris nauet operam, futuris sibi maximo et comodo et ornamento. Vale. Florentie, ex nostro monasterio VI kal. marc. quam raptim.

III.

Ad optimum uirum et peritissimum physicum
magistrum Nicolaum de Leonardis.

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut defleam non iuxta prophetam uulneratos populi mei²⁾, sed pieta-

¹⁾ Wortspiel: etwa mit 'tui ipsissimi' wiederzugeben.

²⁾ cf. Ierem. 9, 1.

tem iustitiam sanctimoniam omnesque simul in unius morte ferme occidisse uirtutes? Quis enim tam durus, tam ferus et ferreus, tam absque sensu doloris et uiscerum, qui se a fletu et lacrimis continere possit, aspiciens immaturam rosam repente demessam liliumque candidissimum, antequam prorsus hisceret seque in calices funderet, inclementi turbine uiolatum atque corruptum? Quis inquam uel silice durior impatientissimo dolori moderetur, cum sancte memorie pontificem Eustasium tanti animi tanteque seueritatis indicia pre se ferentem tam cito rebus humanis subductum inter ipsa sui pontificatus initia uiderit?

Ego te, Nicolae pater, consolari cupiebam, ut par est, acerbum amantissimi filii et prestantissimi sacerdotis occasum egre molesteque ferentem, qui me ipse nequeo consolari. Fateor, cum mihi tristis de illius morte nuntius allatus, ita totus uel acerrimi doloris absortus sum, ut nihil merenti nisi tristis rerum occurreret facies. Quanto enim maiora mihi de sacra illius indole pollicitus eram et merito quidem, tanto acriore uulnere confossus sum, qui summa de spe cecidisse uisus essem. Quando enim ego absque lacrimis illius effigiem animo meo inherentem et penitus insitam meminisse potero? Non illum uideram equidem carneis oculis neque ille me, uerum tanta utrumque gratia copulauerat, tanta iunxerat pietas, ut unum animum putares duobus inesse corporibus. nisi quia ille me prerogatiua meritorum sancteque conuersionis gressibus longe anteibat. Quando litteras illas ad me suas omni melle dulciores testes incredibilis illius amoris in me sui sine suspiriis et gemitibus relegam? Ego illum sua sponte currentem inuiti adhortatione mea excitare conabar ad capessenda uirtutum studia atque pontificis auctoritatem morum sanctitate exequendam. Cumque ille monita paruitatis mee opere transcenderet pluraque faceret maiorque cum studio quam persuadere ipse quesissem, ut erat tamen mitis et humilis corde, me patrem, me preceptorem diuinitus sibi datum grate admodum confitebatur. Atque utinam, Eustasi sacratissime, ne tua hec de me opinio titubet sitque ad iudicium meum secus atque ipse de me opinabaris, utinam inquam is esse tandem merear, quem tu esse putauisti. Nunc enim profecto iunctus deo unumque cum illo factus, qui enim adheret deo unus spiritus est, defectus Ambrosii tui longe opinione grauiores intueris plenusque ut quondam pietatis ac uiscerum miseraris errores nostros. Neque enim quia deum induisti, nostri te cura exuisti; et illi quippe cura est de nobis, utinam certe ita complaceat tibi de me sicuti solebat, cum nobiscum adhuc in terris uersareris. Quando ego tui in me amoris uehementiam dulcedinemque putem imminutam, cum affectus certe tuus non sit imminutus sed immutatus?

Sed ad te redeo, Nicolae pater, id inprimis ab utroque nostrum poscens, uti iam fletibus temperemus. Neque enim recessit a nobis

neque nos deseruit, qui migrauit ad Christum. Maiore nos modo caritate complectitur studioque propensiore commodis nostris eterneque saluti prospicit nunc omnipotenti coniunctus opifici. Reliquit quidem grande sui desiderium nobis. Ceterum in hac si desideratione nihil ferme habes ipse quod doleas, habes quod gaudeas plurimum et deo gratias agas, qui te tali prole beatum fecit. Luctum quidem indixisse uidetur bonis omnibus et ecclesie catholice tam immaturus illius occubitus, cunctis in hec sua tam fausta principia suspensis magnumque quoddam sibi breui de illo pollicentibus, quod profecto contigisset, nisi illum altiore consilio deus eripere humanis, celestibus choris inserere maluisset. Nosti ipse et mecum recolis, quanto ardore desiderii sacrum illud pectus in diuina flagrabat, quanto zelo domus dei turpes homines de templo dei disiecerit, dispulerit eosque perpetuo dedecore notauerit, qui pellices ab suo latere sua sponte remouere nolissent, cum tu filio metuens me ne currenti calcaria admouerem acrius litteris deprecari studuisti. Ob hoc ipsius memorabile factum dignissime nunquam illius memoria reticebitur, sed eterna uigebit. Omitto alia illius pectoris purissimi et flagrantissimi in dei rebus retexere, ne, dum te solari intendo, sopitum iam tempore et ratione sedatum dolorem exasperem. Quod si dolori indulgendum est, ut est profecto modice, ratio tamen fidei spesque promisse resurrectionis et consequende immortalitatis omnem istiusmodi stimulum debet obtundere. Legimus plerosque illustres uiros in orbitatibus liberorum tum se ipsos tum alios quoque solitos consolari longa oratione prolixisque rationibus et inprimis precedentium clarissimis exemplis, qui eos casus constantissime pertulissent, cum tamen illi nihil certi nihil explorati de immortalitate animorum minimumque de futura resurrectione corporum afferre possent, quippe eam rem humanis coniecturis assecuti obscure nulloque diuino magisterio eruditi. Gratias tibi, domine Jesu, qui obsitum mundum aduentu tuo illustrare dignatus es, ueritatemque in obscuro eatenus latentem aperire, et post crassam illam et obscurissimam ignorantie caliginem serenum seculo lumen infundere. Ecce nunc infantes pueri et puelle, omnis etas, omnis sexus de huiusmodi dogmatibus disputat immortalitatemque asserit animorum, quam sudantes philosophi liquido nunquam cognouere; licet enim de illa multa multisque libris disseruerint, non tamen id unquam plene effecerunt, ut quod nostrates pueri sentiunt consequerentur. Quorsum ista? Si gentiles uiri proculque a dei gratia remoti tanta constantia tulerunt orbitates suas, quid faciendum est christiano homini, cui tantum gratie diuinitus indultum est, ut per celeste sacramentum non ambigat eos qui pie uixerunt immortalitatem consequi et beate resurrectionis expectatione ac spe esse felices? Caue itaque existimes lugendum tibi esse Eustasium uenerabilis memorie pontificem. Nihil fieri abs te potest quod ingratius admittat. An illius glorie inuides?

Quid a paternis uisceribus esse remotius inuidia debet? An filii tangeris desiderio? Id quidem non mirum nec improbandum. Id enim pateris quod plerique tecum et ego inprimis. Verum cum illum nos quoque breui secuturi simus, fortiter iste illius discessus a nobis separatioque corporea ferenda est. Legimus in sacris litteris Daud regem sanctissimum, cum sibi carissimus filius infirmaretur, aliquot dies cibo abstinuisse, prostratum humi in cilicio et cinere, ubi uero puer efflauit animam, surrexisse lotaque facie cibum sibi apponi iussisse; mirantibus ministris nouam regis¹⁾ faciem rationem piissimam attulit: cum, inquit, langueret puer, orabam dominum, ut redderetur mihi, ieiunio et cilicio macerans corpus; quando autem ille mortuus est, flere ultra non conuenit; non enim illum reuocare iam possum, sed ipse potius ad eum pergam²⁾. Ita, bone uir, pii patris functus officio indulisti hactenus fletibus, humanitatique satisfacisti. Verum siccande tibi sunt lacrimae gratesque deo referende dicendumque cum Job illo fortissimo: „dominus dedit, dominus abstulit; sicut domino placuit, ita factum est; sit nomen domini benedictum“³⁾. Precessit nos pie memorie Eustasius filius tuus, dominus meus in sempiternam requiem, paraturus quoque tibi mansionem in felicitate et gloria celesti. Deducendus, a nobis est cum hymnis et laudibus. Has illi inferias persoluamus conemurque uiribus omnibus illius inherere uestigiis, qui quoad uixit pietatem semper coluit seque ad illam summa ualacritatis exercuit. Et quoniam ut dixi lenitum arbitror dolorem tuum, cure tibi queso sit ualetudo tua, familie tue plane necessaria. Sic uiuite, ita uos agite, ut sanctum Eustasium in celesti Jerusalem uidere atque amplecti mereamini. Sed iam impleta charta non capit. Vale, mi amatissime pater. Florentie, ex nostro monasterio kal. Sept. [1430].

Tuus frater Ambrosius.

IV.

Ambrosius monachus Nicolao patris.

Accepi litteras tuas lugubres, quibus non tuam modo uerum nostram ac totius ecclesie cladem defles. Ego, mi Nicolae karissime, satis exprimere uerbis nunquam possem, quantum mihi meroris indixerit nuntius ille ingratus et molestissimus, quo mihi renuntiatus est Eustasii sancte memorie presulis obitus, cum ferme solum hac tempestate pontificem ausim appellare, qui adulescens ferme tantum indolis celestis specimen dederit, ut in sene atque in Christi militia ueterano desiderari maius non posset. Me miserum, quanta de spe corruui. Non minus mihi lugendus Eustasius beatissimus est quam du-

¹⁾ rei cod.

²⁾ Reg. II 12, 15-23.

³⁾ Job 1, 21.

dum luxerit Iosiam sanctissimum regem atque iuuenem propheta Jeremias. Vtriusque nempe par meritum, zelus idem, eadem uirtus predicari potest, nisi quod ille habuit sanctificati ex utero¹⁾ prophete lacrimas, hic noster obuoluti sordibus peccatorum honoratur fletibus. Ita uiuit in animo meo uicturaque est perpetuo uenerabilis uiri pia memoria, ut indelebiter precordiis heserit mecumque immoretur iugiter, ac dum spiritus hos regit artus illius nomine et laudibus exsacriari nunquam potero. Mecum ille uersabitur mecumque quiescet, ille erit sermo meus, ut hoc uel tenui officio mihi ipsi dolorique meo satisfaciam. Ceterum te precor, pater humanissime, adhibeas merori modum. Non enim lugendus est filius talis, sed uotis potius prosequendus ac laudibus, qui consumatus in breui impleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima illius. Scripsi quidem summo pontifici et amicis reliquis; utinam tam efficaciter quam prompte ac libenter; et credo piissimus pontifex clementer aget. Si qua tamen iniunxeris Ambrosio tuo, gratissime accipiam. Senties profecto quantum per me fieri poterit non esse mortuum filium tuum. Vale, mi amantissime pater. Florentie, ex nostro monasterio XXIII Sept. [1430].

V.

Ambrosius Nicolao suo pl. s.²⁾

Accepi proxime litteras tuas, quibus multa inquiris ab homine non satis occupato ac per id merito negligentie reo, qui respondere distulerit tamdiu. Falso ante omnia ad te rumore delatum est pestem hanc inuasisse in nostrum monasterium aliquosque ex nostro monasterio obiisse diem. Nam diuino munere nunquam saniores fuimus, adeo ut ne uel breuis quidem capitis dolor ullum ex nostro cetu temptet. Id tibi antea quoque significauit, ut te omni hac cura leuarem. Valent omnes nostri integerrime uestrique uicem miserantur, et intente deo uota pro uobis omnibus fundunt. Non possumus tamen non moueri, non angi, quibus sepenumero renuntiantur mortes amicissimorum hominum et carissimorum ciuium. Germani tui obitum ni fallor ad te perscripseram³⁾. Miseret me conditionis tue sortisque dure profecto, in quem grauem iam eui tam multa aduersa simul cumulantur: fratris mors, nepotum cura superstitum et eius inprimis qui maior natu molestius te ceteris uexat, quod post adhibitam omnem discipline diligentiam ad minus letam euaserit frugem, peregrinationis difficultas et cetera plena molestiarum. Deus noster omnipotens sereniore tandem oculo te dignetur aspicere, senectutemque tranquillam et quie-

¹⁾ Ier. 1, 5.

²⁾ Der Brief ist (nicht fehlerfrei) ediert von Luiso, *Rivista delle Biblioteche e degli Archivi* X 1899 S. 77-79.

³⁾ Dazu kondolierte der Brief VIII 33 (302) ed. Canneto.

tam elargiri, ut quod reliquum est uite iocunde transigere ac sine molestia possis.

Laurentium nostrum ad uos se recepisse mirifice gaudeo; eum ipsi non uidimus, quamuis ciuitatem non introisse plerique asserant, alii noctu et clam uenisse clamque recessisse affirmare uelint; quomodolibet sese habeat res, ego illum hortatus sum, ne accederet, malens interim desiderio illius cruciari quam eum periculo exponi. Magno uobis solatio hunc reditum eius fuisse ut credam facillime inducor. Ea est enim suauitas uiri, ea iocunditas, id ingenium, ut absens quidem sui desiderium, presens autem uoluptatis plurimum afferre possit. Cosmum cl.¹⁾ uirum et amicissimum cum omni familia ualere integerrime gratulor plurimum. Qui sane nuntius non mihi modo, uerum et fratribus nostris omnibus carissimus fuit.

Pueris nostris mirifice gratulor, qui Carolo preceptore non minus felices sunt quam dudum Alexander uel Leonide primum pedagogo uel postea magistro Aristotele. De illius studiis nihil mihi noui renuntiasti. Scio ardens illius ingenium ad hec studia prope singulare non posse alibi usquam conuiescere. Dicebatur mihi illum Diodoro Siciliensi historico traducendo in latinam linguam applicuisse animum. Ad id opus fuerat excitandus litteris, nisi uel suapte natura pronus ad hec visus fuisset uel te haberet incitatorem, qui etiam si obdormisceret illum excitum experrectumque faceres. Vtilius puto huic eum operi incumbere quam Homeri poema conuertere; licet enim elegantissimum habeat versibus componendis ingenium, promptaque illi ac parata sit rerum omnium uerborumque copia, multum tamen iudicio meo laborabit, antequam Homeri dignitatem latine queat seruare eumque ita latinum facere, ut non a se ipso degeneret. Meum tamen isthuc iudicium tuo ipsiusque subiicio.

Fecit estus molestissimus et imbecilla ualitudo fratris nostri, ne libellus ille Hyeronimi Contareni illustris uiri hactenus sit absolutus. Incumbit ei rei nunc totus breuique complebit. Pudet quidem eam rem protractam esse tamdiu, sepeque ipsi fratri nostro succensui et admonui officii sui, Cum absolutus erit, quod propediem futurum est, curabimus ut ornetur quam fieri poterit accuratissime, licet id quidem erit perdifficile. Nanque Baptista diu abest, nec satis scio, cui id munus iniungendum sit. Josephum tuum nedum accepimus. Quicquid inferri poterit a nobis diligentie in rem tuam, prompte adhibebitur²⁾.

¹⁾ el. *cod.*

²⁾ Vgl. zu diesem Abschnitt des Briefes die folgende Stelle aus dem Brief an Niccoli vom 27. Oct. 1430: Libellum Hieronymi Contareni V. cl. frater noster absoluit. Eum Michaeli nostro quanta licuit intentione commendavi, ut peregrinum illud exaceret ingenium in eo exornando admonens; faciet id scio dili-

Laurentius sacerdos quo primum concessit, ibi se hactenus cum pueris continet multumque legit. Aduenit tamen proxime in celebritate sancti Laurentii ¹⁾ una cum Johanne Spinelino consacerdote suo, cumque sibi nuntiatum esset patrem suum Pisis obisse diem, profectus est, ut rem ipsam exploraret diligentius, neque tamen propinquauit urbi regressusque retulit hanc pestem tantum stragis dedisse Pisis, ut uix ex omni populo pars quarta superstes sit.

Antonius alius ²⁾ nusquam discessit; sepe nos conuenit, uigetque in illo solitus scripturarum profunda rimandi feruor, utinam modicus. Nihil enim tam illi metuo quam modi desiderationem immo utrique ex illis. Nam neque socio satis confido. Mallet intra nidum pietatis antea plumescerent, ut mature postmodum ac tuto uolare possent. Quiddam enim subtremido securusque esse non possum.

Angor Philippi nostri uiolento nimis occubitu casuque miserando. Deus hanc illi temporalem mortem ad eternam salutem suam prouenire permiserit. Nihil habeo quod ullam tibi uoluptatem afferre inter tuas molestias queat nisi hoc unum fortasse, quo integritatem tibi nostre ualitudinis significauit, cuius cum rei anceps ut par est cruciaberis.

Heri atque hodie litteras ex Venetiis accepi plenas meroris dolorisque incredibilis. Quippe pie et sancte memorie Eustasius archiepiscopus Corcyrensis migravit ex uita, relinquens tum seni patri tum ceteris ac mihi ipsi inprimis grande sui desiderium. Iuuenis erat etate, sed moribus senior, tantaque dederat inter sui pontificatus initia uirtutum ac pietatis documenta, ut omni merito ecclesie lugendus sit. Necdum annum egerat presul et omnes ferme sue ecclesie sacerdotes, quos nefario pelicum inquinatos immo infectos concubitu offenderat, cum lenibus monitis ³⁾ et placida exhortatione reuocare a scelere nequisset auctoritatis plenus et gratie, palam abstulit nepharium pelicatum, quosque ⁴⁾ secretius emendare nequuerat, summo dedecore affecti. Hoc autem tanti animi tam pie mentis indicium in ceteris quoque operibus illius eminebat. Nanque ecclesiam, quam dirutam inuenit, paucis mensibus ferme reparauit. Habeo illius litteras ad me plurimas, quibus magnum quiddam mihi de illius indole pollicebar. Sed hanc spem meam fuisse interceptam ut minus moleste feram, facit pura in

gentissimus. Josephum tuum accepimus resarciendum. Plus habere visus est cadentium literarum, quam ut possit cito et facile absolui. Faciet tamen id frater noster, quantum licebit pro virili sua, ut diligentiam in ipso non desideres, tum instinctu suo, tum monitis nostris. (Ep. VIII 34, 303 ed. Canneto).

¹⁾ 10. August.

²⁾ So die Handschrift; wohl verderbt.

³⁾ monitiis Hs.

⁴⁾ quousque Hs.

illum animi mei germanaque dilectio. Neque enim carissimi mei inuidere felicitati debeo, quem deus in hoc feruore propositi, in hoc ardore sancti desiderii mediis periculis eripere atque in eternam requiem uocare dignatus est, glorie sanctorum sacerdotum sociandum. Cui illud scripture aptissime conuenit: ‚consumatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima illius; ideo festinauit reducere illum de medio iniquitatis, ne malitia mutaret intellectum eius. ‚Et illud; ‚cani hominis sensus illius et etas senectutis uita immaculata‘¹⁾. Non possum tamen senis patris non dolere uicem, qui et filium amisit et substantiam periclitatur amittere. Nam plurimas Rome pecunias ut ille promoueretur exsoluit, quarum omnium debitorem fecerat filium, eiusque manu cyrographum conscriptum habet, quo id pecuniarum patri se debere immo ecclesiam suam profitetur. Obsecro Cosmum nostrum ores, ut summo pontifici persuadeat id quod uidetur equissimum, ut Nicholao patri ex fructibus ecclesie ipsius satisfiat. Sunt illi sex filie, due iam nobiles, quarum dotem partim in promouendo, partim in exornando pontificalibus insignibus filio fere²⁾ impenderat, qui annum integrum in episcopatu non egit, ut dixi. Magnam certe nobis ablatam comoditatem librorum habendorum et ipse intelligis. Tanto enim ille mihi afficiebatur studio, ut uitam quoque expositurus uideretur, dum uotis meis facere satis ulla ratione potuisset.

Verum euasit in longum epistola cohibendaque prolixitate nimia est. Vestes tuas excutimus diligenter. Saluta omnem cetum amicorum. Vale.

VI.

Ambrosius monachus salutem plurimam dicit
domino Francisco Copule.

Accepi litteras tuas magna certe cum uoluptate; animaduerti enim quantum me diligas quantique facias necessitudinem nostram, quoniam quidem adeo ingenue et liberaliter mecum agis. Conmendas mihi Karulum nepotem tuum, ut in grecis addiscendis³⁾ litteris illi adiumento sim, addisque quid uelis ad te mitti. Non tamen, Francisce carissime⁴⁾, id de me postulas attentius, quam a me prestaretur gratius, si qua comoditas adsit. Verum id fateor amicissimo animo tuo quod exhibere haud quaquam possum, nihil enim eiusmodi penes me est, quod habeat una et greca uerba et expositionem⁵⁾ latinam, non modo ex Plutarcho aut ex gentilibus reliquis, uerum ne ex sa-

¹⁾ Sap. 4, 13.

²⁾ ferre *cod.*

³⁾ adiscendis *cod.*

⁴⁾ carissime *cod.*

⁵⁾ uerba expositione *cod.*

cris quidem litteris. Quoniam uero compertum ¹⁾ tibi dixisti me grecas litteras absque miniculo preceptoris adsecutum, atque adeo consilium atque opem in adulescentulo instituendo postulasti, ut meis scilicet ille uestigiis per ignota itinera nitatur, pandam tibi, quo pacto mediocrem huiusce lingue peritiam adeptus sum. Psalterium habui grecum mihi per religionis institutionem ²⁾ admodum familiare. Id igitur cum latino conferre incepti atque notare tum singula uerba ³⁾, tum nomina et reliquas orationis partes, quidque singula significarent mandare memoriè ac uim uerborum omnium tenere, quantum fas erat. Ibi profectus inicium sumpsi. Transiui deinceps ad euangelia, epistulas Pauli actusque apostolorum hisque familiariter obseruatus sum; habent enim satis magnam uerborum copiam suntque omnia translata fideliter ac diligenter nec inconcinne. Postmodum uero et gentilium libros uidere uolui, eosque haud facile intellexi. Mihi igitur factum optimum uidetur, si adulescentulus ipse eodem incedat tramite, neque passim quibusque huiusmodi profitentibus scientiam intendat animum solisque inhereat interpretationibus ⁴⁾ ueterum sacris dumtaxat, que, quod ad uerum traducte sint, et proprie faciliores atque illius accomodatioris profectibus sunt. Prestaret quidem doctore uti; sed is nisi egregie peritus sit et linguam probe calleat, proficiet nihil, imo oberit plurimum rudi animo ac per id satis censeo certis niti quam ambigua ⁵⁾ et incerta sectari ⁶⁾; loquor enim que expertus ipse sum. Sed huiusmodi ⁷⁾ librorum copia apud nos non est, iuris scilicet mei ut mittere possim. Psalterium quidem et euangelia et huiusmodi teneo, sed ita ut ea mittere nequeam; sunt enim partim amicorum, et que nostra sunt occuparunt adulescentes nostri quidam grecitatis item studiosi; uenale uero prorsus nihil habeo. Si quid iam fieri posse censes per me, rescribe; nusquam enim, quoad licebit, deero uotis tuis. Vale.

VII.

Optimo et peritissimo uiro Rynucio fratri meo.

Ἐπιθυμῶ μεγάλως τὴν ὡς ἡμᾶς ἀφίξιν σου, ῥυνούκιε καλὲ κάγαθὲ. δέομαι σοῦ, ἵνα πρὸ τοῦ ἀπιέναι ὑμᾶς, τὸν φίλον σοῦ γνήσιον τῆς ἐπισκέψεώς σου καταξιώσης, ἔξοντά σοι πλείστην χάριν τῆς τε εὐνοίας καὶ τῆς εὐγνω-

¹⁾ Quantum uero comptum *cod.* (?).

²⁾ institutio *cod.*

³⁾ tum uerba *cod.*

⁴⁾ interpretationibus *cod.*

⁵⁾ ambigui *cod.*

⁶⁾ septari *cod.*

⁷⁾ Sed enim huiusce *cod.*

μοσύνης. Ἐρρωσο φίλε κράτιστε καὶ ἀδελφέ, ἡμᾶς τε τῷ φιλοθέῳ καρδινάλιῳ
σοῦ συνιστήσων. ἐν τῇ ἡμετέρᾳ μονῇ ἰουνίου κῆ [= 28].

ὁσὸς τὰ πάντα Ἀμβρόσιος ¹⁾.

VIII.

Reuerendissimo in Christo patri et domino domino G.
sancte Romane ecclesie presbytero Cardinali Senensi.

Reuerendissime in Christo pater et domine. Vrget inmodica festi-
natio tabellarii, ut sim in scribendo breuior quam uel dignitas uestra
uel officium certe meum requirebat. Aliis litteris, si deus iuuerit, pro-
lixius scribam. Nunc quid afferam breuibus accipite. Ex Rynucio
nostro uestre reuerentie studiosissimo et amantissimo sum factus
certior, cum primum ad urbem nostram profectus est uobiscum, opus
illud Manuelis Caleche contra Grecorum errores²⁾ maiorem in modum
uos cupere, neque id solum, uerum ut transscribendum curarem a me
impendio postulare. Non debui deesse tam honesto reuerentie uestre
desiderio, cui me multum obstrictum et deditum fateor, non inuitus
profiteor. Itaque curauit, ut quanta fieri posset celeritate transcribe-
retur ab homine haud quaquam ignauo et imperito. Librum igitur
ipsum ad uos transmittendum Francisco ipsi spectato ciui nostro dedi.
Neque sane licuit pre fascibus occupationum mearum illi emendando
incumbere. Ceteris librarii peritia fretus, ipsum ut erat mittere malui,
quam diu differendo negligentie apud censuram uestram culpam sub-
ire. Eum accipite. Ac siquidem uotis uestris satisfactum erit, gaudeo;
sin autem, ueniam dabitur occupationibus meis. Rynucium nostrum
uirum sane bonum et eruditum atque amicissimum saluto. Valet in
domino. Florentie quam raptim XVIII decembris.

Vestre r. filius frater Ambrosius
Monachus monasterii sancte Marie de Angelis.

IX.

Ambrosius Rynucio suo s.

Opera tua nobis est pernecessaria. Cupimus iustis causis iniungi

¹⁾ Die Abschrift verdanke ich Herrn Dr. Friedrich Glaeser (Wien). Der Abdruck folgt getreu der Handschrift, nur das Schlußsigma ist nach modernem Brauch eingeführt.

²⁾ Gemeint sind des Manuel Kalekas „libri IV contra Graecorum errores“, von denen Traversari auf Wunsch Martins V. eine lateinische Uebersetzung angefertigt hatte; diese ist mehrfach gedruckt worden, während das griechische Original nur handschriftlich erhalten ist, aber nicht in dem von *Krumbacher*, *Byzantinische Literatur* 2 (1897) S. 141 zitierten cod. Monac. graec. 261, welcher vielmehr die von Migne, *Patr. gr.* 152, S. 429–661 edierte Dogmatik Kalekas enthält. Vgl. besonders *Quétif-Echard*, *Scriptores ord. Praedicatorum* I (1719), p. 718–620.

communi patri ac domino Senensi protectionem ordinis nostri deficiente domino cardinale de Brancaciis¹⁾. Et quia habet pecuniarie rei stipendia ueremurque ideo, ne quis minus idoneus eam impetret a sanctitate domini nostri, quod esset magnum ipsius ordinis detrimentum, petimus a domino nostro per litteras, ut eam protectionem ipsi domino Senensi dignetur iniungere. Et quoniam audiuius illum istud detractare onus, scribimus et ad illum litteras orantes illum ad hoc subeundum. Horteris, ne, si declinet illud, in manus rapacis cuiusquam atque auidi incidamus, quod in graue ipsius preiudicium uergeret. Vale, amantissime frater. Florentie ex nostro Monasterio XVI Maii MCCCCXXVII.

X.

Domino Cardinali Senensi.

Reuerendissime in Christo pater et domine. Vrget summa necessitas zelusque domus dei, ut tibi comendem pietatis opus. Dominus cardinalis de Branchaciis protector ordinis nostri, ut sumus certiores facti, graui admodum laborat morbo. Veremur nimium, ne quis eam protectionem, quia lucrum affert, a sanctitate domini nostri impetret. Atque ideo ab illo petimus litteris, ut id onus tue semper mihi colende uenerationi dignetur iniungere. Neque enim ambigimus te duce fieri posse, ut ordo ipse in meliorem atque in antiquum statum reformetur. Quocirca supplex de tua benignitate postulo, ne id reicias, neu opem tuam labenti immo fere iam lapso deneges ordini, quem ab infantia fere egregio quodam amore dilexisti. Neque sane debes id obtendere, quod non consueueris specialem aliquam suscipere protectionem, cum generalis patronus sis omnium seruorum dei. Vbi enim speratur fructus aliquis in re diuina secuturus, tritum integrumque non est sese subducere labori atque oneri. Ego nisi certo mihi persuasum esset felicia diuini cultus incrementa posse tua auctoritate prouenire, nunquam profecto te ad hoc inducere temptassem. Verum experimento didici multum spei esse in hoc negotio. Namque dum generalem patrem ordinis alloquerer proponeremque sibi te, si id onus assumeres, uelle regularem obseruationem introducere, uisus est id uehementer appetere. Queso ne subtrahas destituto iam ordini solatium huiusce protectionis tue. Vale et me ut consueuisti constantissime dilige; nam ipse te multum diligo.

XI.

Domino amantissimo et mihi omni affectu
colendo atque obseruando patri G. Ambrosius.

Et ex nostri Rinucii ad me et ex tuis ad patrem ordinis litteris sum factus certior te, id quod multum cupiebamus quodque uotis

¹⁾ Cardinal Thomas Brancatius starb am 8. Sept. 1427 (Eubel I 1898 S. 32).

omnibus exoptabamus, protectionem nostram in tuam fidem suscepisse idque oneris caritate iubente subisse. Ex quo plurimum tibi apud deum meriti glorieque apud homines accessurum credo spero confido. Licet enim gloria tua Christus sit, non tamen, si ex profectu religionis felicique successu gloriari uolueris, iuxta Paulum¹⁾ insipiens eris, cum precipue omnis tua gloriatio in Christo sit ut dixi liceatque confidenter in domino gloriari. Nobis certe sol nouus oriri uisus est, cum primum percepimus assensum tuum, luxque aurea et suauius radius omnes que se inter spem et desperationem fluctuantibus offuderant animis tenebras dispulit. Quid plura? Deo retulimus gratias uberes, qui uota non spreuit humilium precesque inutilium famulorum suorum clementer admisit. Agimus et tibi gratias, mi pater unice atque suauiissime, quantas licet tenuitati nostre, quod eum te nobis presteris quem sperabamus, pium scilicet indulgentissimumque parentem, qui filios tuos tuendos fouendosque susceperis atque amplectendos caritatis ulnis. Aderit deus, ut certo confidimus, felicibus ceptis, ut te non peniteat nostrum suscepisse patrocinium. O si religio sancta per tuam operam atque diligentiam priscam faciem puritatemque recipiat. Vides quo nostra tota aspiret intentio. Sed hinc satis multa.

Scripsi ad te proxime de Iohanne nostro, quanta integritate iniunctum sibi munus exequatur quantaque diligentia scrupuletur singula, ut suis potissimum uestigiis cubilia penetret ueritatis. Inuenit hac sua mirabili predicandaque solertia, ut totum breuiter explicem, pastores non pauisse sed incubasse gregem, ut non saltem mercenarii sint, qui uexatis raptisque ouibus taceant subtrahantque solatia, sed illi ipsi lupi fures latronesque sint, quibus prede ac pabulo grex dominicus fuerit. Hoc unum ut dixi prioribus litteris ueremur, ne cuiusquam arte et astu cepta tam prospera obtundantur atque intercipientur. Vides quid facto opus sit. Vigilandum est, ne malitia preualeat. Neque id solum, uerum acuendus est atque renouandus uiri huius tam utilis animus adhortationibus crebris. Quod facio equidem, quotiens pergit ad nos. Sed multum tamen illi conferet uirum, si tuis illum ipse quoque incites litteris moneasque uti ceptis insistat, nullius insidias metuens nulliusque indulgens gratie, sed in sua integritate persistens atque utens auctoritate collata sibi. Queso, si utile iudicas, recrees illum atque animas litteris tuis eorumque quos a summo pontifice collegas accepisti. Vale, mi amantissime pater. Comendat se tibi ac te suppliciter salutatur ceteris omnibus noster. Florentie XXII Julii.

XII.

Franciscus Philelphus Ambrosio monacho s. d.

Accepi litteras tuas, que incredibilem mihi uoluptatem attulerunt. Nam que de humanitate tua summaque uirtute a nonnullis et claris

¹⁾ 2. Cor. 12, 6.

et magnis uiris audieram, ea nunc oculis ipsis intueri uideor. Nihil enim pretermittis, quod tum boni uiri tum suauissimi rectissimique amici officium sapere prorsus censeatur. Quo fit ut tuum sequi consilium facile cupiam. Nam quid aliquando gratius euenire nobis ex sententia queat quam istuc apud uos esse, a quibus melior reddi queam et doctior. Quare spem quam istuc nobis accedendi prebes expectem necesse est. Ais namque, per proximas litteras rem omnem declarabis. Sed illud uelim quam diligentissime cures, ita tuas obsignes litteras, ne frustra scripsisse uideare. Nam si in alicuius manus¹⁾ peruenerint, qui . . .²⁾, mihi reddentur nulle.

Quod uelim ad uirum clarum Leonardum Aretinum, scribo nihil. Nam nolim quicquid in buccam uenerit, sed diligentius quiddam sum ad eius grauitatem scripturus. Id uero est opusculum Dionis Chrysostomi Prusaensis, quod nuperrime latinum effeci, cum antea non esset; hoc impresentiarum expolio³⁾. Sed poteris tu pro tua humanitate me uiro illi commendatum et carum reddere sibi que oratione significare, quam mirus sit erga se amor meus. Non enim secus eum et diligo et obseruo, quam pater boni filii pios parentes colit⁴⁾. Vale et me ama ut facis. Ex Bononia . . . nonas⁵⁾ Martias 1428.

A tergo.

Venerabili et integerrimo uiro fratri Ambrosio Monacho latine greceque doctissimo in monasterio Angelorum.

¹⁾ Fehlt in der Hs., dafür Lücke.

²⁾ In der Hs. eine Zeile leer.

³⁾ Es handelt sich um Dios oratio de captiuitate Ilii, die Filelfo latinisierte und Leonardo Bruni dedizierte. Uebersetzung und Widmung sind in wenigstens vier Inkunabeln gedruckt (s. Hain Repert. bibliogr. n. 6184-5, Pellechet, Catalogue général des incunables . . . n. 4261-3).

⁴⁾ Colent *codex*.

⁵⁾ Die Zahl vor nonas fehlt in der Hs.